Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2355
Quelle:
Copyright:

(manifeste omissa unitas) *die IIII* (omissa decas) *Januarij qui postmodum coruscauit miraculis. Amen.* Anno 1331. 14. Jan. mortuum, consentiunt Scriptores Ordinis, sed emendandus ex dictis *Waddingus*, qui *Annal.* T. III. ad *h. a.* Itinerarium *Utini* dictatum voluit. Copiose ceterum de Nostro egit *Job. Jos. Lirutus* in *Notizie de' Letterati del Friuli* T. I. *Venet.* 1760. c. 17. p. 274. quem, si lubet, adi.

Praetextae sunt *Codici* in membrana Literae executoriales *Fantini de Valle* J. V. D. Archipresbyteri *Parentini*, Pontificii Capellani et S. Palatii Apost. causs. Auditoris sententiae pro *Henrico Hecht* contra *Johannem Puor* de *Ratingen* latae, qua memorato *Hecht* Vicaria in Ecclesia B. M. V. *ad gradus Coloniae* adjudicatur. *Dat. Romae apud S. Petrum A. 1469. Indict. 2. die 13. Jan. Pontificat. Pauli PP. II. anno quinto.* Testibus *Nicolao Gleywitz* et *Henrico Konen de Sprinck* notariis publicis. Subscripsit *Vitus Truchsess* clericus *Bamberg.* Vice M. *Henrici Lebenther* clerici *Herbipolen.*

DCXVI.

Codex chartaceus immixtis tamen membranis, lat. Sec. XV. Folior. 287. 4. a Diversis conscriptus continet, quae sequuntur: I. *Alani de Insulis*, de quo videri potest *Index*, *Anticlaudianum*, sive Poema versu hexametro, in IX. Libros distinctum, quae tamen Distinctio in *Codice* observata non est. De ejus Nomine, Materia, Editionibus agit *Polyc. Leyserus* in *Hist. Poetar. et Poem. med. Aevi* p. 1016. ubi etiam Praefationem et Librum I. e *Ms. Helmstadiensi* exhibet ob lectionis varietatem. Ad Praefat. quae incipit: 642

Autoris mendico stilum falerasque poete.
Ne mea segnicie clio deiecta senescat &c.

observo, in Exemplaribus quibusdam Caesareis *Aurorae Petri de Riga* praefixam reperiri, adeoque dubium esse, ad utrum re ipsa pertineat. Opus ipsum, cujus initium:

Ut sibi iuncta magis nature dona resultent &c.

sat emendate scriptum definit:

Exhausit proprio concludens fine laborem.

Adjecit Librarius: *Explicit per manus Nicolai de Wratislauia.*

II. *fol.* 57. subeunt per 2. columnas exarata *Precepta Magistri*